



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 45. Triremes unacum Legatis ad Græcos a Papa transmissæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

quas ejus Legati pro celebranda Synodo decreverant. Jam jamque Florentini quatuor triremes necessario apparatu instruebant (*), spe freti, Concilium in eorum urbe celebratum iri; & ecce! Eugenius ipse, a Legatorum suorum decreto recedens, Venetos quatuor triremes parari jubet, illas Basileensium classi oppositurus.

Sæcul. XV.
A.C. 1437.

§. XLV.

Triremes unacum Legatis ad Græcos a Papa transmissæ.

Igitur Græcorum Oratores, hortatu ac precibus Eugenii expugnati, triremes Venetorum auxilio instructas conscendunt, comitantibus, quos Papa tanquam Legatos in Orientem decreverat, tribus Episcopis, scilicet, Petro Diniensi in Provincia Antistite, qui idem Regis Caroli VII. in Synodo Basileensi Orator extitit, Antonio Portuensi Episcopo, Lusitaniæ Regis Legato, & Christophoro Garetonæ in

*Panorm. de
Conc. Basil.*

(*) In quoniam Papa ab hoc decreto recesserit, non nisi in cerebro Continuatoris nostri inveniri licet, nisi forte recessum dicere velit, quod Pontifex, quæ per suos Legatos efficere potuisset, per se ipsum explere maluerit.

Sæcul. XV.
A. C. 1437.

in Pelponneso Episcopo, quibus adhuc alii duo Doctores, illo ævo scientiæ laude facile principes accesserant, nempe Nicolaus de Cusa ex Diœcesi Trevirensi, Leodiensis Archidiaconus, & postea Cardinalis, necnon Joannes de Ragusio Ordinis FF, Prædicatorum Generalis. Hi præprimis Bononiam petunt, Papam adiuturi, ubi novem triremes probe armatas reperiunt, quasdam in Venetorum mari ceteras ad Cretensem portum in anchoris hærentes; hujus classis Navarchum Eugenius Antonium Condulmerium Neptem suum nominavit.

§. XLVI.

Oratores Eugenii Constantinopolim
appulsi.

Legati Pontificis horum, quos Basileenses miserant, adventum prævenientes, Constantinopolim ingrediuntur, & conventu cum Græcis habito illos ab accessu ad urbem a Synodo decretam magno fraudum apparatu retrahere conantur (*). Inter cetera Græcis suggel-

(*) Blondus 3. Dec. 8. rem narrat, sed falsitates ignorat, unice referens, Garetonum Imperatori persuasisse, ut quæ Basileenses ei impossibilia obtulissent, a Pontifice majora, melioraque